Lipnicii Andreae: Monumentum victurae gloriae serenis. Vladislai IV.

MONVMENTVM VICTVRÆ GLORIÆ

SERENISSIMI & VICTORIOSISSIMI MONARCHÆ & DOMINI

D. VLADISLAI IV.

POLONIÆ & SVECIÆ REGIS

Magni Ducis Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Liuoniæ, Samogitiæ, Czerniechouiæ, &c. &c.

NECNON

Goth: Vandalorumq; &c. &c. Hereditarij

R E G I S

Virtutibus ac factis cõparatum: & in acerbissimo, totius Sarmatiæ ob fatalem suũ ex hac vita decessum luctu;

A

Professore Eloquentiæ Fundationis Illustrissimi

T Y L I C Y

EPISCOPI CRACOVIENSIS

ANDREA LIPNICIO, CANONICO S. ANNAE

PRÆLATVM.

Anno reparatæ Salutis. 1649. Die 15. Mensis. Ian.

CRACOVIÆ,

In Officina Valeriani Piątkowski.



Nec rabidis Vulcane tuo, ſic Iuppiter olim
Hoſtibus infeſtus, fulmine viſus erat:
Flammiferis Zadora ſuis populatur, vt hoſtes
Ignibus: impauidos ſuſcipit illa viros.
Indomitos Turcas frenat; ſæuoſq; Gelonos
Demetit: horrificos perſequiturq; Gyges
Heròás Claro, Magnos tàm Stemmate! felix
Qui genti tantas, accumulauit opes.

AD

Illustrissimum & Magnificum Dominum,

D. STANISLAVM

IN BRZEŹIE

LANCKORONSKI,

CASTELLANVM CHALICIENSEM,

Capitaneum Scalensem, &c.

Monumentum victuræ gloriæ, Magni Regis VLADISLAI, Tibi Illustriss. ac Magnifice Domine, cum deuoueo; & pietati meæ, in Principem Maximum, & officio in Te, Virum Togâ & Sago insignem, satis fieri contendo. Princeps ille non memoriâ solum, ast omni prædicatione dignissimus, cum ex ephebis vix excessisset; satis profectò sibi, quia optimus: satis publicæ laudi, quia de Regno, de Ecclesia, de pace, de bello, de victoriis, de Triumphis, meritissimus vixit. At certè his, qui illius mirabilem in consultando prudentiam, stupendam in aduersis magnanimitatem, incredibilem in vindicandis Patriæ iniuriis fortitudinem redamant, parum vixisse iudicatur. Scilicet post omnium hominum memoriam, ille inuentus præsenti ætate, solus fuit; in quo vniuersæ Imperatoriæ virtutes, non diuersorium sibi locauisse sed domicilium fixisse, videbantur. Cuius Augusto Imperio, saluis nobis viuere licebat: natum esse neminem pænitebat: omnia spectabant ad salutem. Æquissimum itaq; fuit, in factis Magni VLADISLAI, non summos modo, & decumanos Oratores, verum etiam & suæ mediocritatis sibi conscios, (quorum in numero, non inficior haberi) desudâsse. Enimuero quod hæc, Tuo Nomini nuncupanda censuerim, non mireris Senator Amplissime: Tu enim hâc lugubri Reipublicæ facie, nedum apud nos, sed vbique singularem in modum celebraris; nec magis Nobilium aliarum Virtutum, quàm constantiæ laude, in perseuerantiâ, fidei in officio, caritatis in Patriæ necessitate, fortitudinis in periculis adeundis, Rebellium audacia coërcenda, mucronibus à Ciuium iugulis retundendis, conspicuus haberis, prædicaris. Viuit in Te Illustrissime Domine, Generosus ille, bellicosorum Virorum sanguis, quos non tempestas ad tranquillitatem, non discrimen vitæ ad formidinem: non ardor hostilis, ad indignum aliquod, famâ, vel illustri Nomiue committendum, vnquam compulerunt. Recentissima sunt, Tuo in pectore, Nobilissimorum Maiorum Tuorum exempla: qui & obsideri, si necessitas postularet: & occumbere si casus ferret, dummodo Patriæ integræ, & vel paucorum discrimine, omnibus incolumibus liceret esse, nequaquam recusabant. Quis enim non legit? Nicolaos illos, & Sbigneos publicis in officiis dexterrimos, vel Stanislaos, & Præclaos, veluti illos Romanos Fabios, peritia militari insi-

Symmachus in Epist.

P. Okolscius in Orbe Pol. Liuius Dec. 1. libr. 8.

gnès, contra hostes, acerbos, ac crudeles, constantes bèllatores, & toto æuo cele-
brandos victores; vel Hieronymos Creslaos, Nicolaos, aliosq́ propè infinitos,
hinc per longam ætatum seriem, ceu ex Nobilissimis, saluberrimisq́ fontibus deri-
uatos, pietate mansuetudine, summa ingenij suauitate, & elegántiâ commendatis-
simos; Sed quid opus illorum hîc, longam retexere seriem? Te Illustrissime Domi-
ne, quisquis modernis in necessitatibus Patriæ viderit, verissimám ZADORÆ
(Tuum hoc insigne est) Prolem agnoscet. Nam veluti LEO, pro Patriæ filiis
decertas; dum rapacissimos Scythas, à finibus Regni profligas: sceleratos & impi-
òs rebelles còërces Cameneciam antemurale, totius Regni Poloniæ, semel rece-
ptam in fidem, animosè & gloriosè; áb incursionibus barbarorum vindicas, &
propugnas: vsq́ adeò, vt vel ex Tuo Gentili, ausim Te LANCEM æquitatis,
vel LVCEM Coronæ nuncupare. Etenim afficiunt alios solicitudines, Tu veluti
Symmachus *Pericles, dum Patriæ præsens cogitas, his non commoueris: percellunt plurimo-*
lib. 3. Epist. 6 *rum animos, indignissimi casus; Tu æquè, vt Marcus Horatius, itàconstantiâ fir-*
maris, quo minimè consterneris. O quam altas radices egit, in pectore Tuo
Generoso, doctrina Sapientum, omnes qui ad amplissimos honorum gradus
promouentur, summo studio eniti debent, vt famam sæculi, actionũ va-
Rauisius l. 3. rietate tueantur. *Itaq́ vetustas prodigâ laudis, illos Gylippos strenuos, &*
c. 8. & l. 2. *multis bellis insignes, Achilinos contra Gothos fortissimos, Lucilios proprio pe-*
c. 24. *riculo, & exercitus famam, & Bruti Salutem redimentes, voluminum honore di-*
gnetur: Tua certè Illustrissime Domine Virtus, non tanquam flosculi decidet; sed
propagabitur per ætates, & in animis diù victuræ posteritatis perẽnabit; Quod qui-
dem Tibi, Optimo Ciui Patriæ, & in aduersis spectatissimo, constantissimoq́ pro-
pugnatori, faustum felix ac fortunatum omnium autem Tuorum, celeberrimò
Nomini, etiam gloriosum futurum, omnes boni publici studiosi, vouent, & ap-
precantur. Ego vero, vel hâc primâ Panegyri, de Magni VLADISLAI RE-
GIS virtutibus non tàm viuis coloribus eloquentiæ, expressis, quàm tenui dictio-
nis penicillo adumbratis, dum in Conspectum Tuum venio; pro meo in Te Illu-
strissime Domine officio, cupio vt aduersùs hostes imperterritus, pro Ciuibus pa-
triaque bellator eximius, in arduis consilio & animo inuictus, erga omnes amplitu-
dini Tuæ deuotos beneuolentissimus, nuncuperis, & prædiceris. Datum in Col-
legio Maiori. A. D. 1649. die 18. Ian:

Tuæ Illustrissimæ ac Magnif. D. deuotissimus

ANDREAS LIPNICI Profess: in Alma Acad:

Crac: Tylicianus Can: S. ANNAE.

SI in luctuoso summorum Virorum
occasu, Vita eorum, amplissimis virtu-
tibus insignis, vehementi dolori, mi-
nùs moderaretur: non magis, æquiori *Alexander ab*
mente, illarum gentium, consuetu- *Alexandro Lib. 3. cap. 7.*
dini indulgeremus: quam in hoc, Sere-
niss: ac Victoriosissimi VLADISLAI IV.
Poloniæ & Sueciæ Regis, funesto è viuis discessu, viribus me
tu concussis, ac fractis solicitudine, concideremus. Quan-
quam enim est, tantæ facultatis illa, mortalium animis cæ-
litùs concessa, ratio; quantam ijs, qui non ingeniosi Prome- *Seuerinus in Virg. Eccl.*
thei, vel fabulosi Deucalionis, commentis, sed Principis o-
mnia regentis atq; gubernantis Dei, altissimâ sapientiâ, co- *Ouid. lib. 1. Met.*
gitati & conditi sunt, necessum est inesse: nihilominùs ta
men, nescio, an aliquando, quisquam ita constans, fortis,
& grauis, existat; qui dum sibi eos, quorum vigilijs tutus, *Iuuen. Satyra*
consilio saluus, prudentiâ felix, communem auram viuen-
tium hauriebat, sentit eripi, non vsq; adeò commoueatur;
vt nihil arduum, intolerabileq́; in rebus humanis illi videa-
tur, quod potiùs doloris vi compressus, pati recuset; quàm
amissi boni memoriam, sæpiùs meditari cogatur. Est quip-
pè huiusce mali, ea vis, ac potestas, quâ tantò atrocius affli-
gimur, quantò sinceriùs eos, quibus spoliamur, diligeba-
mus: eò acerbiorem sensum, nobis accidisse iudicamus;
quò illis integris, & incolumibus, iucundiores nobis dies vi-
tæ, & optatos rerum euentus, illuxisse videbamus. Atque
verò nihil hùc ex antiquissimorum hominum, recepto vsu,
ad publici mæroris, explicandam virulentiam afferatur: La-
conum opinio, grauiores luctus, vberrimas lacrymas, pro
funda

B

Alexander ab Alexandro loco citato Diodorus ſiculus lib. 2. cap. 5.

ſunda ſuſpiria, vehicula haberi expedita, quibus Indigetes, omnia quæ Lunæ complexu continentur, permeant, & vſquè ad metam, perennis brauium felicitatis, recepturis, definitam, pertingant, exoleſcat: AEgyptiorum facies deformatæ, Phænicum Epicedia, non multùm hîc valeant: præſentem, non in Polonia tantummodò, ſed inter õnes Chriſtianarum gentium principes, rerum ſtatum, ſi minùs licet oculis percurrere, vel mentis intimo, ſenſu percipiamus; motus aſperrimos, ægritudinem debacchantẽ, vel inuiti ſentiemus. Erupit paucos antè dies, cupidiſſimâ, quia inexplebilis: audaciſſimâ, quia crudelis: efferatiſſimâ, quia nulli ætati, nulli ſexui, nulli conditioni hominum, indulgens; erupit inquam effrenis Lacheſis; atque primum morbo tentauit, deinde affecit; mox vrſit: O ferocẽ! ſed nondum libidini ſuæ fuerat ſatis, afflixit, extinxit, ô immanem! Extinxit? quem? ſuperûm hominumq; fidem! vnũne de miſera, & ieiuna plebecula? non: bellumne, & humanum virum? clarum & nobilem ciuem? generoſum ac fortem Equitem: prudentem, & auctoritate venerandum ſenatorem? magnanimum ac bellicoſum Ducẽ? O quantum & in hos ſęuitum! ſed non eorũ hic vitæ tragædia. Verùmenimuèro illum, (quis abſque copioſo lacrymarum imbre protulerit:) illum inquã VLADISLAVM IV. Inuictiſſimorum Imperatorum cariſſimã progeniẽ: Sanctiſſimorum Poloniæ, Regum, Generoſiſſimũ Sãguinem Principẽ ſalutis atque mentis Poloniæ auguſtiſsimum, immitis Parca conſtantem, temeraria ſapientẽ, violenta inuictum, letali falce perculit, labefactauit, confecit. Eheu! quæ nunc Chriſtianorum Principum triſtitia? quis, virtutum tanti Regis, æmulos bellatores, ac admirãdæ felicitatis inſignes præcones, ſtudioſiſſimoſque cultores, dolor? quis, totum floretiſſimum, & ſuis cęleſtibus pænè auſpicijs, beatiſſimum Regnum, luctus occupauerit? quis, prõ-

ptus

ptus ingenio, grauis cõsilio, expeditus sermone, facundus ore consequetur? Occubuit quem nemo Heróum ob eximias boni Imperatoris dotes, non suspiciebat: suauissimâ lucis vsurâ priuatus est: quẽ Ecclesiæ, Patriæ, totiq; Sarmatiæ, lumen serenissimum vixisse, nullus nesciebat: ereptus est nobis, cuius amore, nemo bonorum non flagrabat: cuius maiestatem, auctoritatem, fortitudinẽ, nullus hostium non timebat: cuius studijs ad diuinum honorem propagandũ & vindicandum inflammabamur: ad libertatẽ recuperandã & conseruandam incẽdebamur: fugitiuos arma tenere, pagos, oppida, Ciuitates expugnare, bustuarium gladiatorẽ insolescere, non vidimus, non audiuimus, non sensimus: cuius denique Eclipsi quis sterilitatem in agris, vastitatem in campis, desolationem in vrbibus, cædes in hominibus, non deplorauit? Funestũ sanè tempus! nunquam inter fastos numerandus dies (quo vnius Serenissimi VLADISLAI casu, & pulcherrima pacis ornamenta, & salutaria contrà sæuas tẽpestates, violentissimosque turbines præsidia, & miseri Patronũ, & abiecti perfugiũ, & afflicti vindicem, & postrati columen amisimus. Hæc quidem nos pertulimus. Enimuero Serenissimus VLADISLAVS viuit; viuit; non modo ideò tantum, quia corporis molestissimo Carcere solutus, mortalitatis contagione emãcipatus, in sublimi & excelsa, tuta, & bonis inauditis affluente regione, constitutus: verũ etiàm, quia dum Regio illo, & augusto animo, celsissimas virtutes, fuisset cõtemplatus, earum decus auxerit: in animis gratã nominis sui recordationem, in factis illustribus, insignẽ reliquerit splendorem; famã suam, per vniuersum, quà latissimè patet, orbem; diffudit: ac immortalitatem quandam hîc consecutus est. At nimirùm, ne hæc in quibusdam receptaculis latere, vel in suis imaginibꝰ tãtùm, ac simulacris, à plerisq; sita existimentur esse; nec facile omnium & ani-

mos,& ſenſus peruadere intelligãtur;in tã luctuoſo depoſitionis die ſuæ Maieſtatis, ſolitò breuiùs, quàm rei tantæ requirit amplitudo, victorioſiſſimi VLADISLAI IV; Poloniæ & Sueciæ REGIS famam, luce meridianâ clariorem eſſe, indicabo. Fateor quidem, non me Phidiæ excellentiã callere, qui Sacram Maieſtatem, vt aliquẽ Iouem effingam: non Lyſippi tenere, peritiam, quem in exprimendo orbis Domitore æmuler: tamen dum pietatis munus exequor, & debitum fidelis ſubditi, perago officium: eò faciliùs mediocritatis meæ, in factis tanti Principis, puto me conſecuturum veniam; quò lucidiores ſuæ claritatis radios, meritorumq; magnitudinem, nullis poſſe circumſcribi artis, vel ingenij cancellis, optimè intelligam.

Propertius l. 3
Horatius l. 2.

Ac ſi quantum in Orbe, gentibuſq; diuerſis, Sereniſſimus VLADISLAVS IV. immortali famâ poteſt: tantùm in animis, cæleſtis illa dicendi facultas valeret: non minùs in ampliſſimis elogijs, Maieſtati ſuæ conſcribendis, eloquẽtiſsimos deficerent ſtudia: quàm, in comparandis adoreis perennitatis, & explicandis trophæis, excellentiſsimos Orbis Monarchas, anteiuit gloriâ. Quid enim eorum, quibus maximi honores, præſtantiſsimum decus, ſummę atq; incredibiles laudes conſueuerunt haberi, ſuæ Maieſtati defuiſſet? Hîc in Heroico ſanguine, natura ſuum robur, in ſupremo Nobiliſsimę dignitatis faſtigio, ſuam fortuna poteſtatem: demùm in negotijs perarduis aggrediendis, & mirificâ dexteritate perficiendis, virtus totam ſuam vim repoſuiſſe, iudicandæ. Et vt alias miſſas faciam: mens illa generoſa, nullis vnquam impar altiſsimis rebus cogitandis: grauiſsimum iudicium, omnibus inuolucris difficultatum expediendis promptum: animus ad extremum ſublimibus, (quæ ſolæ humani ingenij capacitatem implent ſinè faſtidio, ornant ſinè diſpendio, ſecundant abſq; periculo) defixus, & inprimis enutritus, perniciſſimis alis, Heroicæ in-

dolis,

dolis, in summa quæque ferebatur, nec autem quicquã, adeò difficili, fuerat positum, loco, quò non anhelaret, atque perueniret. Diuinum propè serenissimi VLADISLAI pectus! ex cuius Adyto, veluti reconditissimis *Virg. 2 Æneid* atq; bonis omnibus refertissimis officinis, innumerabilia illa, incertùm illustriora, an admirabilia magìs ornamenta profluxerunt. Sed quid agimus? possumusné aliquando, collectis animi viribus, ac vniuersis dotibus sapientiæ imbuti ac instituti, de his, quæ sua Maiestas in orbe subsolano, vel cogitauerit sapienter, vel ea inchoauerit commodè, vel egerit auspicatè, vel insuper perfecerit gloriosè, perquàm luculenter differere? possumus? præclarissima illius facinora, ita complecti orando, vel percẽsere numerando, vt nihil de animi amplissimis muneribꝰ, nihil de magnitudine rerum gestarum, nihil de numero præliorum, nihil de multitudine hostium, nihil de iniurijs Incolarum, & subditorum vindicandis, nihil de propagatis florentissimi regni limitibus, nihil de Republica, nihil de vita, de bonis, fortunisq; Ciuium, Maiestatis suæ, laboribus vigilijs, consilijs, periculisq;, ex flamma infensissimorum, ferro, ac pæne faucibus, huic pulcherrimæ optimorum hominum, fortissimorum militum, bellicosissimorum Ducum, potentissimorum Imperatorum, Patriç, perniciem afflare cupientium, ereptis, & nobis conseruatis, ac restitutis, non ad amussim expressum relinquamus? Ecquod est tam solers ingenium? quo hæc debitè cogitari, vel integrè comprehendi, quæ tanta industria? quâ promptè circumspici, vel diligenter expendi, quæ tàm felix vbertas? cuius verborum luce, atq; grauitate sententiarum, omnia Sereniss: VLADISLAI IV. facta, æternis incidenda monumentis, explicari valeant? Triumphârit Clarissimus olim & Græcorum omnium Princeps, qui Olimpionicas cũ admiratione prudentissimorum, & cum ap- *Plutarchus in vitis Oratorũ.*

 plausu

plausu eloquentissimorum, celebrauerat: in Magni VLA-
DISLAI, gloriosis Victorijs exponendis, ac illustrandis, im-
par Orationis suæ genus agnosceret: floruerit quondam
apud Latinos, Vir in dicendo summus, quem omnes vnū
Quintil. l. 10. cap. 1. Oratorē admiramur: & non modò Eloquentiæ inexhau-
stum Oceanum, ast ipsam fere animatam eloquentiam,
arbitramur extitisse: illum, meritorum Diui Regis copia,
inopem, magnitudo tenuem, amplitudo hebetem, &
exanguem redderet. Scilicet, hùc ingeniosi Poëtæ suos
neruos, subtiles rerum indagatores, pondus rationum,
Cicero lib. de Orat. vberes veluti Homerus, densi & semper instantes, instar
Thucydidis, dulces, candidi, & effusi, perindè quasi Hero
Valerius lib. 1. cap: 5. dotus, ornati, & lacte manantes, tanquam Liuius, acuti,
Arist. de Ora. & aliquantulo sublimes, vsq; in morem Taciti, Magistræ
Plat. vitę, ac testis temporum Scriptores; fidei, eruditionis, &
Quintil. l. 10. cap. 1. peritiæ suæ facultates conferant; atq; eas ad extollendum
Cic. l. de Orat. nomen tanti Principis, liberalissimè depromant: nunquā
sacræ illius Maiestatis gloriam, adæquabunt. Serenissim9
VLADISLAVS Optimus Principum, Maximus Dynasta-
rum, fortunatissimus Regum, dicam quod sentio huma-
næ terminus admirationis, VLADISLAVS. Qui vt pri-
mùm communem vitę rationem, & conditionem subijs-
set, omnium mortalium iudicijs, se dignum potētissimis,
& sanctissimis Maioribus suis; dignum, cui non ambigua
quædam sed certa spes, illustrium virtutum, animos ho-
minum conciliaret; dignum, cuius non apud Sarmatas tā
tùm, verùm quoq; apud longè dissitas nationes, nunquā
sit intermoritura memoria, persuasisset. Et friuola cui-
Iustinus & Herodotus li. 3. piam videantur: Persarum illum Cyrum; nonnullis signis,
Sueton. li. 11. in Oct. ingentem famā, & imperijs, ante quam nasceretur, visum
futurum: vix mereatur fidem, ad exortum, in hanc lucem
Ælius Lampridius in vita ipsius cap. 12. Augusti, Dominum terrarum, Orbi natum, vocem audi-
tam fuisse: neq; non profanum habeatur, Alexandro Se-
uero

uero, in vitam effuſo, toto die natalis eius, ſtellam primæ magnitudinis luxiſſe, & ſolem circa domum Patris ſui, ful gidiſſimo ambitu coronatum, ſtetiſſe: quid memorē, prę petes duas Aquilas, in culmine Patris, Magni Alexandri ſe- *Iuſtinus l. 12.* dentes, infanti primum cōmunem viuendi aurā ſalutanti potentiæ quoddam numen, & felicitatis omen portēdiſ- ſe? Inſignia certè Romani iuxta atq; Poloni imperij, quo- rum ſub auſpicijs Sereniſſimus VLADISLAVS ſuſceptus, qui bus præſidibus, & Regnum āplificatur, & robur ſolidatur, & perennitatis ſpes, atque poſſeſſio comparantur: quorū ad ſecundum exordium, vtrobiq; ſapientia, fortitudo, cō ſilium, reſplenduerunt: virtus, religio; pietas, conſtantia, creuerunt: hoſtium temeritas, vis, ſcelus: fracta, afflicta, profligata: Incolę metu, ſolicitudine, clade etiam extre- mâ, atq; exitio ſoluti; ab innocentibus iniuriæ, à calami- toſis oppreſſio, à miſeris perditio, propulſatę: ſub iugo Ty rannicæ ſeruitutis gementes, in libertatē, grauiorum tē- peſtatum procellis expoſiti, in tranquillitatem, inſidijs, do lis, ac cuniculis circumuenti, in ſecuritatem optatam vin dicati, qualem, & quantum hunc Principem Polonis prę- ſagiuerint? Nihil hic dico, de Diuorum, Maieſtatis ſuæ Pa rentum, laudibus: nihil de maximis, & cùm cælo gratis, *Illuſtriſſ. Paul.* tùm hominib⁹ ſalutaribus, virtutū ſtudijs. SIGISMVNDO III, *Piaſ. Epiſc.* Poloniæ & Sueciæ Rege, & ANNA, CAROLI Archiducis *Premiſl.* fortunatiſsimi, iuxta atq; Diuini honoris ſtudioſiſſimi Fi- lia, Sereniſſimus VLADISLAVS, procreatus eſt: illorum altiſſimum genus, honorum, magiſtratuumq;, (quod quidem maximè glorioſum eſt) amor, cultus ac reue- rentia, Reipublicæ cura, liberalitas in egenos, clementia in ſubditos, humanitas in omnes, tanquam ſolis æmulæ, quaſcunq; in partes mundi proſpexe unt, eas ſtupēdum in modum, illuminârunt, recreârunt. Beatam prolem, cui tàm beneficos humano generi, tàm aptos Heroïcis acti- bus exercendis, Maiores contigit habuiſſe! Cedunt, ce- dunt

Natalis Comes lib. 4. cap. 13. Et lib. 8. c. 1. dunt inquam, natalibus, Serenissimi VLADISLAI Agamemnonis, AEneæ, & Achillis cunæ quibus, cùm Poetę, ingenio facili, studio iucundo, & fingendis multis, audaci, lepidiùs magis, an fabulosiùs, Numinum, quorundã genus affinxissent; multa de illorum summis inter mortales facinoribus, non pauca de auspicatis euentibus; plurima de potentiâ, dexteritate, periculorum contemptu, de vita, de moribus, de rebus gestis, ad seram posteritatẽ transmiserant. At enim hos, quid? imò cogitent quoscũque eiusmodi, qui in terris egerunt amplissimos: contendant optimis, ac Principibus dignis, rationibus imbutos: animo excelso, inuicto, & vniuersis humanis rebus, superiore vixisse deprædicent; eos Sacra sua Maiestas Regia, Generosissimo Diuorum Maiorum sanguine prognata, Nobilitate vicit: splendore insignium vicit: festiuis votis, & acclamationibus, plenis amoris, plenis gaudij, plenis certæ cuiusdam, in suo Natali, spei vicit. Neq; efferatur, domitor ille orbis, die Sexta mensis Hecatombæonis, in vitam editus: beatiores illas Serenissimi VLADISLAI Iunij idus licuit nuncupari; quæ lætitiæ, non mæroris, cõmodi non detrimenti, gloriæ non confusionis, inopinatum præsagium attulissent. Vos enim Vos Beati, cælites, omnibus virtutum numeris absoluti, cunctorumque bono, ab Orbis conditore & reparatore DEO, producti, vos inquam, Prime & Feliciane quorum Natali celeberrimo, Serenissimus hic Princeps vitæ suæ, ad cõmunis lucis vsuram, natalem expediret, nobis ac vniuerso Orbi, quasi signum aliquod illius, felicitatis futuræ extulistis: & vel sibyllinis folijs, certiùs argumentum, illum primũ fieri debuisse, qui vt clarissimorum, ità potentissimorum Dynastarum, insignia gesta, domi, foris, in pace, in bello æmulaturus, & à nemine vincendus, omnes autem famâ, claritate nominis, prælijs, superaturus esset, proposuistis.

Plutarchus in Alexand. vita Ælianus l. 2 variæ historiæ cap: 25.

Cic. de Diuin.

Benè

Benè est; abunde est, diuinissimæ animæ: hominū opinioni diuina prouidentiâ, apertis illorum sensibus, vestra beneuolentia, radicitùs firmatæ spei, desideratissimi euentus, respōderunt. Vix enim Serenissimus, loquelæ humanæ vsum cepit mirari, sublime quoddam rerum suscipiendarum documentum, animo spirabat: auxilijs salutaribus muniri, in summa Regalis dignitatis amplitudine, liberalibus disciplinis instrui, & exornari amænissimum, & æquissimum, ducebat: quas ità primis annis cōplectebatur studiosè, vt neq; eruditorum hominum, ingeniosis contentionibus adesse, more Alexandri, molestè tulerit: *Isocrates in e-pla quadam ad Alexandrum* nec vnquam literatis occupationibus deuotos, ætate & Imperio auctus, ad abstrusiores, in difficillimis, sensûs deprehendēdos, veritatē inuestigandam, errores pestilentissimos, ex mentibus humanis elidendos, & euellendos, caritatem conciliandam, religionem, fidem propagandam, non excitauerit. Delibabat nimirùm ex sapientissimorū Virorum facundo ore, Adrianum æquè literis, vt armis *Tympius in Aureo specu-lo. Principum* celeberrimum vixisse: Antoninum Musarum laboribus nomen, nullis extinguendum ætatibus acquisiuisse: Ladislaum Hungariæ atq; Boëmiæ Regem: *non videri sibi homines, qui literas ignorarent, adolescentulum edixisse*: Frāciscum I. Regem Galliæ, *malle se opum omnium, quàm minimam doctrinæ iacturam pati, affirmauisse*: itaq; non suos ocellos reflexit, ad quæ infima multitudo effusissimis conatibus fertur: ast illa, in quibus tanta est claritudo, & æstimatio, vt eam nemo non suspiciat, contemplatus; nō eminentissimis intumuit: Verùm æquabilem, & pacatum, in omnibus sese præstitit. Quodq; maximè miremur necessum est: cū fluxa, & ægrè cōsistens ætas, ad ludicra ibecillū torqueret, hanc, vi, diuinitùs naturæ suę instillata, ad seriâ, flectebat: innocētiâ, mansuetudineq; corrobobat: quî factum vt illum singulari amore, omnes complecteren-

ćterentur; & effuſiſſimis votis, atq; ſententijs, optâtum e-
xitum habituris, pulcherrimum gẽtis Poloniæ decus: fir-
mum columen Patriæ: Vitę ac ſalutis Ciuium, acerrimũ
propugnatorem: libertatis conſtantiſsimum aſſertorem,
fore iudicarent. Et verò his Sereniſſimus Princeps, ful-
tus præſidijs, & excitatus muneribus, non ignorauit viá,
ad honoris celſitudinem: inflammatus contendit ad cel-
ſum apicem virtutis: vtq; extremam pueritiam attigiſſet,
tantùm lumen orbi viſus eſt intuliſſe; quô & Chriſtiani
Imperij dignitas, ac poteſtas, illuſtrari, & Magnitudo ſui
Nominis diffundi, & formidoloſorum hoſtiũ inſolẽtia de
terreri, poſſe diceretur. Mouebantur iſtius modi famâ
peruulgatâ, remotiſſimi populi, dum audiebant: lætabã-
tur vicinę gentes, dum videbant; congratulabantur ſibi
Poloni Ciues, dum ſentiebant: perhorreſcebant infeſtiſſi-
mi hoſtes, dum ſciebant. Præſagiuit fædifragus Moſch⁹,
didicit helluo regnorum Turca, & quominus beatam Po
loniæ, hoc tali Principe ſortem, grauiter pati viderentur;
tantum ſe rerum ſucceſſum nunquam non efferre, & ve-
luti cæleſte quoddam prodigium, nuncupari teſtabantur.

Reinaldus Heideiſten! in bello Moſchouitico.

Moſcua verò ſoli fertilitate, agrorũ latitudine, ſiluarum
profunditate, animalium, ferarum, belluarum copiâ, po-
puli frequentâ, Ciuitatum munitione, fluminum multi-
tudine, vrbium ſplendore, rerum omnium abundantia,
non incelebris, quo tanti Principis Numine ſibi præſentiſ-
ſimo ad ſtuporem vel inuidiam cæterarum Nationum in-
clareſceret; Sereniſſimum VLADISLAVM Adoleſcentẽ,
(facta enim ipſius immortalitatis fuerunt nõ ætatis) Cæ-
ſarem ac Dominum habere, peroptauit. Felicem eum diẽ!
Solem totius lucis, fontem longè tunc ſereniorem! cuius
radijs Auguſtum Nomen VLADISLAI decoratum, Nati-
onibus quoq; ab humanitate alienis, auſpicatè illuxerit:
ignotas regiones, varia & diſiuncta regna peruaſerit: & in
amo-

âmorẽ Principis, ac veneratione Poloniæ Herou, inflāmauerit. ſapientiſſimum, ac propè modum cæleſte, in eligēdo Sereniſſimo VLADISLAO ad ſedem Imperij Moſchouię conſilium! Quis enim tantorum populorum arctiſſimo vinculo fæderis, atq; conſuetudinis, humanitatis & amicitię nexu deuinctorum, incredibiles hinc emanare fructus dubitaret? Equidem ab hoc tempore, exularet à barbaris ſuperſtitio, vigeret cælitum ſincerus amor: profligaretur ſcelus, coleretur pietas: aſperitas, truculentia extingueretur, lenitas, probitas, clemẽtia radices agerent. Hoc enim demùm ingens amplificatorum Imperiorum emolumentum, in ijs rebus non deſidere, propter quas Maiores illi, domi induſtriâ, foris iuſto imperiò, vbiq; animo libero, nulli delicto, nulli obnoxio libidini, cõmendatiſſimi, multa prælia, manifeſta vitę pericula, famẽ, ſitim, frigus, æſtus, cædes deniq; ſubierunt, atq; perpeſſi ſunt. Enimuerò, (ô furia! ô cæcitas!) leuiſſimus, incõſtãtiſsimus, fędifragus Moſchus: eum Dominum renuit habere, qui ab vniuerſis populis, mirum in modum ſuſpiciebatur: ab illius imperio defecit, cuius virtus, calamitoſos recreauit, depreſſos extulit, contemptos erexit, perditos conſeruauit. O Tyrannum durum! ac ne hunc quidem, qui tàm ventoſo cerebro, mobilli & vacillanti animo, dubia & fluxa fide compertus. Sed quid poteſt haberi tàm vile, tàm abiectum, tàm contemptum, quod huic nõ conueniat? qui non mentẽ diuinitatis conſciam, ad rerũ perennium contemplationẽ intendit; aſt caduca, & folijs mobiliora, tenaciùs ſectatur. Quid adeò impium factũ? nefarium dictũ? graue auditũ? horrendũ visũ? à quo hic metuat perpetrando? qui, non vt perſpiciat humanã imbecillitatem, aut inſtabilitatẽ incertitudinemq; percipiat, veluti in gyrum rationis ducitur; verùm ſecundis rebus inflatus, effrenis & ſibi pręfidus effectus inſoleſcit. Quòd ita deteſtā-

 dum

dum flagitium? quo ſe Tyrannus non obſtringat: cuius cō ſtantia libido, conſilium impudentia, ſtudium barbaries, generoſitas furor, fortitudo audacia, humanitas truculē tiâ. Inuiſum! tetrum! nec vnquam tolerandum ſanè mō ſtrum! eliminandum ex hominum conſortio, profligandum è communi vitâ, exterminandum è finibus naturę humanę portentum! Quis huc Iupiter, cum fulmine? Gigantum, Hercules, cum claua, Hidrarum domitores adſint? qui hunc ferocem, crudelem, immanem vlciſcantur? Sed vltus eſt Sereniſſ: VLADISLAVS iniuriam, vltus contemptum, vltus barbariem, & ita vltus, vt et temeritatem prudentiâ, & faſtum tolerantiâ, & vafritiem conſilio, coërcuerit: potentiam hoſtis, ſua virtute, violentiam animi magnitudine, ſolicitum belli apparatum felicitate, inſtructas & numeroſas legiones, mirâ celeritate cōpreſſerit: robur ipſarum omne fregerit, vim excuſſerit: Enimuerò non primùm in fædifragum, ſua militaria ſigna extulit, donec maioris mundi partis poſſeſſorem (ſi placet ſuperis) Turcam non magis fortitèr, quam cōſtantèr, nec magis animosè, quam gloriosè, domuiſſet. Proſiluerat olim, veluti commotæ mentis Oſmanus, non vt iàm aliquod detrimentum Polonię, ſceleſtiſſimo ſuo afflaret ore; vel gentem ſuis cupiditatibus inuiſam, iniurijs afficeret: verùm, vt huic auito regno, & quâ viris fortibus, quâ religionis puritate, quâ per vniuerſum mundum illuſtri famà inſigni, ſolitudinem induceret: ac glorioſum Polonorum nomen, rabioſus ſuâ contagione inficeret; infectū labefactaret, labefactatum deleret. Acuebat impotentiſſimum, veſanus furor, concitabat ambitionis æſtus, erigebat in ſpem, collectæ pecunię vis, commeatuum multitudo, pabulorum, frumentorum, aliæque annonarię copia. Quid arma varij generis? quid equi belli gerēdi apti? permulti Elephāti? quid cuurruū incredibilis numerus? quid

Bellum Seren. Vladiſl. contra Oſmanum ad Chocimum. Innocent. Petricius in deſcriptione eius Illuſtriſs. Paulus Piaſecius in Geſtis ſingulari Europe.

quid exercitus vel Xerxis Cētū Septuagita hominū Myria-dibus maior? quid paulò antè commissum cum Polonis prælium? Podolia miserrimè afflicta: Coloni vexati, pagi exusti, ciuitates exhaustę, arces, propugnacula, templa, vrbes, vel incensæ, vel excisæ, vel exinanitę? Quid castra expugnata? fortunę Ciuium direptę, fortitudo illusa Quid insuper militum strages? seruitus Ducum? et occasus! populorum & pecorum abactio? sociorū calamitas, omnium nostrum inaudita consternatio? Quid inquam hic malorum, aduersùs gentem nobilem, successus? truci & prædis, atq; latrocinijs exercitato animo non ingessit? quam in spem victoria, natura sua perquàm superba & insolens, perditissimum ac flagitiosissimum, imò lernā, colluuiem, ac sentinam omnis fæditatis, bustum legum omnium, atque religionum, non inflammabat? vos vos mutæ regiones, campique deserti testes estis; quæ tunc mens Polonorum, quæ insania barbarorum; quæ istorum insultatiò, & illorum deploratiò: qui immanissimorū lusus, & innocentissimorum singultus, quæ Osmanum, ad delendam bellicosam gentem incendit flamma: & Polonos, vno iàm hostilis impetitionis ausu posse absorberi, totum mundum peragrâuit fama? Et iàm iàm ex immanissimi gurgitis, veluti sede Erebi. Plin. l. 4. c. 10 & Iustin.

-------------- quâ rupta dehiscit
Emergit latè Ditis chorus, horrida Erynnis,
Et Bellona minax, facibusque armata Megæra,
Letumq; insidiæque, & lurida mortis imago;
Quas inter furor, arreptis ceu liber habenis,
Sanguineum latè tollit caput, oraque mille
Vulneribus confossa, cruenta casside velat,

Sic ex barbarorum castris colluuies, odijs ardens, vesaniâ flagrans, scelere æstuans, erupit in Poloniæ exercitum, atque omne robur suum, omnem tormentorum molem

expediuit, eoque insolentiæ & iactantię progressa; vt nõ prius se cibũ sumptaram, quam castra Polorum expugnaret & atque sanguine nostrorum militum, infernalem suam sitim extingueret; palàm prædicaret. O superbiam non ferendam! malitiam incredibilem! At quis tunc Patriæ sensus; quæ mens? quæ cogitatio? Nimirum,

Ouid lib. 6. meth.

Contremuit velut agna tremens, quæ saucia Cani
Ore, excussa lupi nondum sibi tuta videtur.
Vtque columba suo madefactis sanguine plumis
Horruit atque auidos timuit quibus hæserat vngues.

Verùm enimuerò adfuit tunc Serenissimus VLADISLAVS, qui beatitatem ad res magnas, & alacriter subeundas; & strenue agendas, & celeriter conficiendas, diuinitùs habuit adiunctam: qui non corporibus, sed animis, non viribus sed consilijs, non audaciâ, sed magnitudine, non feritate, ast auctoritate, res magnas geri sciebat: qui non multitudini hominum, sed virtuti fortium, non hostili temeritati, sed Ducis dexteritati, non deniquè impietati barbarorum, sed integritati Christianorum, gloriosas Victorias à Cælesti Numine deferri, non ignorabat. Et quamuis veniebat illi in in mentem, Mars communis, incertus rerum euentus, apertissimum Vitæ discrimen, Patrię defendendę caritate incensus, subditorum calamitate concitatus, seruitutem abactorum, religionis contẽptum, supplicum lachrymas, oppressorum gemitus miseratus, non tulit, non passus est, non siuit, truculentissimum Tyrannum liberis, multarum palmarum gladiatorem, quietis, insignem Archipiratam, integerrimus, insultare. Tutiùs nimirùm existimauit aperto certamini, se fortunasque suas committere, quam turbatis hominũ Ordinibus, afflicto magistratui, toti fermè Patriæ fatiscenti non adesse. Quamobrèm inflammabantur ad conflictum vtrinq; animi: vrgebat hostes in omne nefas, projecta

iecta audaciâ: Serenissimum VLADISLAVM ratio stimulabat: eum cupiditas, hunc necessitas, eum optatus nuper euentus, hunc grauis & luctuosus Patriæ ciuium occasus: eum peruicacia, hunc constantiâ, eum inueteratum in Polonos odium, hunc in Ecclesiam Dei amor, eum improbitas, arrogantiâ, fastus, auaritia, impudentia, flagitiaq; vniuersa; hunc integritas, moderatio, continentia, spes, omnes Virtutes insupèr stimulabant.

Statius lib. 10 Theb.

--- Et iàm cingebant Turcæ vndiq; vallum
Ignibus infestis rapidi ceu agmine mixto
Sub noctem coire lupi, quos omnibus agris
Nil non ausa fames longo tenuauit hiatu
Jam stabula ipsa fremunt, torquet spes irrita fauces
Balatusq; fremens pinguesq; ab Ouibus agnæ
Quod superest: duris, adfringunt postibus vngues
Tectoraq; & siccos minuunt in limite dentes.

Nec minor inter nostros concitatur clamor, animi magnitudo crescit, alacritas ipsa, cum hoste cõgrediendi barbariei tumescentis proteruã coërcendi, dulcẽ libertatẽ ciuibus, optatam securitatem Reipublicæ, vindicandi, aris ac focis religionem, omnibus incolis salutem postliminio reuocandi, ac restituendi efferuescit. Itaq; concurritur acriter, ingens prælium committitur. Atq;.

Statius lib. 12

Qualis Hyperboreos, vbi nubilus, institit axis
Iuppiter & prima tremefecit sidera bruma:
Rumpitur Aeolia, & longam, indignata quietem,
Tollit hiems animos, ventosaqué sibillat Arctos;
Tunc montes, vndæqué fremunt, tunc prælia cæsis
Nubibus, & tonitrus. insanaq; fulmina gaudent.
Icta gemit tellus, virides grauis vngula campos
Atterit; innumeris peditumq; equitumq; cateruis.
Expirat protritus ager, nec puluere crasso
Armorum lux victa perit; sed in æthere longum
Frangitur: in medijs ardent in nubibus hastæ.

Sic

Sit certatum, Quis tandem euentus? effecit, effecit, Serenissimi VLADISLAI constantià, vt Polonia deplorata conseruaretur; auxilijs destituti, spem, ad internetionem & seruitutem descripti, vitam & libertatem, Orbis Christianus lætitiam & triumphos, non conciperent tantùm futuros; ast reciperent præsentes: truculentissimus verò hostis quo sese ferociùs, & impotentiùs iactaret; quo arrogantiùs dominandi libidine æstuaret; eò studiosiùs pacis conditiones expeteret, illis propositis libentiùs subscriberet, ac sese in latebras, vndé nupèr iactabundus, ferox minax formidolosus eruperat, modò ceu taurus reuulso cornu, vel Draco spiculó sauciatus, conturbatus, modestusque, conferret: Barbaris luctum, nobis gaudium, ipsis horrorem, Polonis fauorem, sibi ignominiam, VLADISLAO Principi gloriam conciliaret. O diem illum fortunatissimum, & toto mundo celeberrimum nuncupatū! quo scelus integritate superatum: potentia fortitudine prostrata: superbia hostis, Principis sapientià confusa, deuicta, conculcata. O lætitiam populi vniuersi! quorum alij, ab intimo cordis recessu, superis vota, soluebant: alij Panegyres, ad honorandum nouum Poloniæ alterum Fabium in arduis, veluti Pompeium in aduersis; tanquam

Plutár. in Par. Æmilium, in grauissimis negotijs Patriæ; concinabant: Alij hunc auspicatum, acerrimi periculosissimique belli euentum, certiùs omen futuræ, in omes hostes virtutis, quam Romani olim ex Octauij, vrbem intrantis, solis Circulo, super Capite viso, colligebant. Quàm innumeri, vocibus æthera ferientibus, & cælos vsque pertingentibus ingeminabant. Ad decus et ornamētum natus VLADISLAVS Princeps: ad imperandum, & belligerandam, ad vincendum & triumphandum institutus. VLADISLAVS Princeps ita egregijs factis, auctus est. vt ibi augustum. florentissimum, pacatissimumque regnum fieri opor-

ri oporteat; vbi fuerit Serenissimus VLADISLAVS. Quid dicam aduentus eius? quid effusiones hominum ex omnibus locis? quid illos dies, DEI Optimi Maximi honori, & Gratiarum actioni solennes, eius felici reditu celebratos? vnus ille instar omnium, ad tanti facinoris laudem, & Augusti Principis immortalitatem habeatur: cum in Patriam rediisset, cùm Senatum obuium vidisset: cùm populum vniuersum, cùm ipsam Poloniam propè conuulsam, sedibus suis, ad amplectendum seruatorem, nō iam tantum progredi, sed quoq; prosilire intuitus est. Enimuerò, quid communem totius Christiani Orbis triumphū ad vnius Regni ambitum reuoco? quis enim non audiuit, quibus, studijs eum omnes omnium exterarum gentiū Principes, prosequerentur? quâ solennitate Poloniæ faustitatem comprecarentur? gloriam victoris coronarent. Testis Germania, bellis victorijs & triumphis celeberrima: quę post res cum Turca gestas Serenissimum Principem, ditiones suas lustrantem, vt vidit, non secùs, quàm Numē quoddam bellicę virtutis suspexit. Testis terrarum omniū & gentium parens Italia, cuius vt limites adijsset, ignotus, nosci, desiderabatur: agnitus summo in honore habebatur. Testis Galliâ, fide, doctrinâ, moribus laudatissima; quæ vbi primùm, gratissimum hospitem, aduenire persensisset, tota effusa in lætitiam ingentem. Testes deniq; omnes regiones, Prouinciæ, loci, sinus quos ille peragrauit: nam vbicunq; constitisset, nō modò quasi nouum lumen sibi affulsisse existimauerunt; ac proinde in apprecandos tāto Principi felices successus, exarserunt; at etiam summam totius sui exercitus, ab illius pendere, imperio optauerunt. O mentem Principum, pulcherrimis virtutibus, veluti fragrantissimis floribus exornatam, & amænissimi roris copiâ inspersā! An nō dulcis? an nō ab omni pernicie suspicionis īmunis iudicāda? & cultissimis

Vassembergius in itinerario Sereniss. Vlad.

disertorum hominum elogijs, sincerissimis populorũ moribus, intimis cunctorum votis, & applausibus celebrandum? Cui vnquam illorum belli fulminum, cui Aemiliorum insignium triumphis; adeò memorabilis honos, ab vniuersis cogitatus, qui Serenissimo VLADISLAO exhibitus? Te regina vrbium, caput terrarum, mundi totius templum, Orbis Epitome, Roma appello: quid tuus ille feruor videndi Poloniæ Principem VLADISLAVM spirabat? cuius gratia spatiosissimæ auræ, faustis acclamationibus, resonabant? quis sensus fuit tuorum votorum? nisi quẽ animosè contra barbaros stetisse, fortiter pugnauisse, gloriosè vicisse audiueras, eum apud te, numinis Diuini acerrimã propagatricem, bellicosorum pro tuæ sanctitatis integritate Virorum alumnam, & maximorum, in salutem omnium communem, meritorum, æquissimam iudicem honorares. Ac vixisset tuus ille suauissimus quondàm Oratione Hortensius: dominaretur in Cõcionibus prudens sententijs, cultus verborum Maiestate, mirabilis eloquij varietate Tullius: regnaret Magnanimus, Patriæ libertatis assertor Octauius: imperaret nobilitate, fortunis, amore populi, rebus gestis clarissimus Iulius: profectò vt nec illi Serenissimi Principis VLADISLAI amplitudinem, gentiumq; in eum studium, pro dignitate dicendo, percensere, ita neq; hi Magnitudinem rerũ, vel inter ipsa crepundia, mundo stupente, & ouante, gestarum, satis demirari possent contemplando. Arsit ingenti quodam amore, VLADISLAI Principis, vniuersus populus: qui fauor, & subuenire nuper impendentibus periculis, cum dimicatione vitæ, & communium fortunarum, non sine fama, integerrimi Polonici Nominis, eum compulit; & iterum, si omnia tela, vndiq; esse intenta, in Christianos videret, si totum hostium robur, in oppressionẽ innocentum, oppugnationem fidei, labefactationem religionis, audiret, expediri; hæc

Plutarchus in Paralelis.

Vrbanus VIII. Pōtifex Max. Corpora Primi & Felician; SS. Mart. Sereniß Vladisl. obtulit.

Quintil. l. 10. D. Thomas de Regimine principum c. 10 Suetonius l. 1.

hæc vnum Sereniſſimum Principem, pro multis, vel ſolũ pro omnibus, ſubiturum atq; euicturum iudicauit. Ita ita profectò, veluti miraculum naturæ VLADISLAVS Princeps, famæ, atq; exiſtimationis ſuæ limites extenderat: ac ſi tunc, quo propagaretur, laus non haberet, incomparabili virtutis ſuæ, apud exteras gentes, recordatione fruebatur. Iam verò Nobiliſſimorum Ciuium Poloniæ, ac totius populi, huius florentiſſimi regni mærorem, ob illius diſceſſum, aut lætitiam ob aduentum, tædium ob abſentiam, aut hilaritatem ob præſentiam, ſolicitudinem de itinerum difficultate, vel exultationem de feliciori in diſſitis regionibus ſucceſſu, quis percenſebit? Nam vt ſol ſimul ac deſertas reſalutauerit oras, neminem non ad amœnitatem prouocat; nulli non ſingularis voluptatis ſenſum, & ad perferendos labores conſuetos alacritatem ingerit: equidèm non abſimili ratione, dum ab occidentis ac meridiei plagis, Sereniſſimus Princeps, in auitas remearet ſedes, vixerit ne vſpiam homo, qui non lætabundus ampliſſimas cælis grates referret? Polonis certiſſimum præſidium in aduerſis, ſpem virtutis in arduis, conſolationem in miſeris, conſtantiam in caſibus ærumnoſis, fortunas cùm incolumitate, incolumitatem cum ſalute, ſalutem cum perennitate, perennitatem cum gloria, gloriã, cum lætitia, lætitiam cum triumphis, voueret, atque iam iam congratularetur. Nam recordemur tempus illud, quo pijſſimus SIGISMVNDVS III. Poloniæ & Sueciæ Rex immortalium numero deſijt eſſe; & hoc vitæ munus, illi perenni beatitatis fonti poſthabuit: Sereniſſimus autem VLADISLAVS, ad Clauum regni tenendum, totamq; Regni molem ſuſtinendam, conſentientibus cæli, ac omnium ordinum votis conſedit, aſſumptus: quis non vidit? quis non ſenſit? illa quæ nobis intimis pectoribus, ominabamur emolumenta, & ornamenta futura; tunc

Coronatio Sereniſſ. Vlade A. 1633 di 6. Febr.

tunc insigniter eluxisse? & suæ Maiestatis imperio deuotorum mentes, ad voluptatem, hostium intractabiles sẽsus, ad facilitatem, durissimas ceruices, ad parendi necessitatem, efferatiores animos ad horrorẽ, bonorum studia, ad præmiorum spem, malorum conatus, ad pænæ metum rèdijsse. Non est fatemur, non est facilis ratio virtutis: quàm autem longè magis difficilis illius dissimulatio diuturna? quæ & interclusa spirat, neglecta floret, conculcata surgit, debitis autem exornata virtutibus, homines in solio maximæ dignitatis collocat: atque suum Nomen, non secùs, quam aliquod cæleste Numen, proponit venerandum. Qui factum censemus, in ipsis crepundijs Regni Serenissimi VLADISLAI, tranquillitatem religioni Catholicæ decretam: Apollini & Musis, ac veteri huius peraugusti Imperij Parnasso pacem, & salutem conseruatã ac restitutam; plurima in commoditatem publicam sancita, fuisse? virtutibus factum. SERENISSIMI VLADISLAI Cuius subsidijs, ab hostibus tuti liberi ab oppressione, securi ab ingruentibus periculis. viximùs? Serenissimi VLADISLAI. Cuius ad auspicià vigere cuncta prosperè, ali abundè, firmari solidè, & immortalitatem quandam spirare conspiciebamus? Serenissimi VLADISLAI. Aut enim erat res vlla, quam sibi maximè optandam iudicaret, quàm omnium secundum euentũ? aut ille grauissima negotia, in illa, iam propèmodum, (cum carissimà Patria, vitâ, & Spiritu laboraret) necessitate, ob oculos sibi versari, non videbat? aut erat illi intãto sarmatiæ tripudio, Ciuium splendore; magis est, in rebus Moschouiticis, hostis incursionibus tentatis, olim victori glorioso, à solicitudinibus, vel modicum quiescendum? aut tàm fuerat cunctabundus, tàm parui publicã salutem reputans, tâm excellentium consiliorum, inauxilijs Patriæ ferendis, subditis defendendis, fortunis vindican-

Facta Serenis. post Coronat.

candis prodigus, quo minùs confestim, ad hostilem furorem sedandum, & rabiem compescendã, accurreret? Nihil videlicèt audierat, nihil viderat, nihil ipse legendo, quærendo, tot, & tantis factis præstitis cognouerat? nesciebat huius amplissimæ Reip. nauem, cuius gubernacula susceperat, nihil magis decere, quam ex alto tempestatum, ac discordiarum enauisse; hancq; pacatis tranquillisq; omnibus, nisi feliciter nauiget, turbulentis magis exponi periculis: nesciebat sapientissimorum hominum consilia, tantæ certitudinis esse, plusquàm si in marmore inciderentur. *Principibus Viris, nihil maius, nihil optabiliùs propositum debere esse, quàm dare salutem, liberare periculis: concordiam fouere, odia restinguere: malis occurrere, bonorum sementem vberrimam facere: dulcem amare Patriam, illius integritatem, propria salute potiorẽ ducere: his autem qui studuerint, esse definitum in cælo locum, vbi à corporis concretione alieni, sempiterno æuo perfruuntur.* Deniq; cum semper Serenissimus VLADISLAVS, ad Dei Optimi Maximi gloriam, Poloniæ dignitatem, & officij sui auctoritatẽ õnia referret: nec quicquã alienũ sibi, in tota vita admittẽdũ putaret, ab his negotijs, quę etiã nec minimus libertatis Patriæ amans; & acceptorum ab ea beneficiorum memor, subire detrectaret; ille qui tanto muneri diuinitùs præfectus, & illustribus ornamentis auctus, quo in oculis Nobilium suorum splendidior, in prelio hostiũ castris terribilior appareret, hoc alacriter suscipere, constanter tueri, maturè conficere, tardauisset? Potissimum, cum illius esset gentis moderator, in qua Lechus, rudioribus initijs, non solùm hos bellicosos populos condiderit: ast quoq; eorum salutem, & bona propagauerit: ob quę beneficiorum genera, *Pater laudatissimus caritate, quàm Dominus extimescendus seueritate, appellari meruisset!* In qua Cracus, cuius animum, nou

Craci Virtutes. casus aduersi fatigare, non secunda fortuna frangere, non dignitatem asperitas vlla diminuere valuisset; licentiã domuit, vitijs aditum præclusit, perditos profligauit, & cũ perferendarum difficultatum scientiã, tùm agendarũ magnitudine, celsus & erectus indicatus: In qua Ziemouito, *Ziemouit. Pol Princeps. Cromerus l. 2.* rectè & fortitèr curriculum viuendi, à communi parente natura hominibus datum, conficiens hanc viam, ad gloriam proximam, & quasi compendiariam, *si Principes, iis rebus incumberent, vt quales celebrari vellent, tales sese præstatent:* sciens, æstus, frigoris, laboris, inediæ tutissima firmissimaq́; præsidia cõparauerat: In qua Miecislaus, *Miecislaus Cromerus l. 6.* quamuis bono et quieto animo fuisset, amicitijs & societati studuisset; nihilominus virtute bellicà, contra nomini Polono infestissimos hostes, famam partam, atq; longe diffusam, Victuræ in æuũ posteritati reliquisset? In qua *Henrici Bole, Loctici.* innumerabiles Lesci, Boleslai, Casimiri, Henrici, Loctici, vixerũt, & imperarunt: quibus nihil in hac tàm crebra & fluxa humanarũ rerũ vicissitudine, aut intolerabile ad de, *Crom. l. 2. & 4.* mittendum animum, aut Magnificum ad efferendum, aut in Patriã, salute tutanda mediocre, ad contemnendum visum est; quorum alij adipiscendæ laudis adoream, partim gratiâ propulsandi iniurias; partim vitandæ turpitudinis causa, varios casus, æquissimis animis subiêrunt: alij cum suà Generosissima naturâ; tùm publicà id, subditorũ ex postulante necessitate, tantum vniuersorum commodis, consuluerunt, & prouiderunt; vt quoniam maximis honoribus, & meritis, Poloniam cumulauerint, ornauerint, auxerint, illis etiamnum memori mente, iustissimę institu ãtur gratię. Vbi Iagelones suos illos, Abauos inuictissimos; *Herburtus l. 5. Cromer. l. 21. Ioannes Demetrius Sulicou Archiep. Leo in Orat. funebri.* Vladislaos proauos, omnibus barbaris stupendos, terribiles: Augustos, Auos verè felices, vel augustos legisset; nõ latis quibusdam descriptisq́; Senatus iudicijs, quasi adductos & constrictos vtilissima domi, fortissima in prælijs, ho

nestissi-

nestissima & iustissima vbique egisse, sed insigni studio, cælestis gloriæ propagandæ, prudentissimo consilio, incursionum auertendarum, publicæ securitatis stabiliendæ, post repressos insultus, & vindicatas iniurias, beatè ac gloriosè præfuisse: in qua meminisset, pijssimum Parentē suum SIGISMVNDVM III. quoties auxilia Reipublicæ, labefactari, conuelliq; videret; quoties leges violari, iura contemni, Ciuium commoda diripi, pacem turbari, fidei suę commissa distrahi, sentiret; non opem ferre distulit; pro publico bono, inimicitias adijt: sustinuit, pro Republica tempestates, cum populis audacibus, cum immanibus Turcis, cum perfidis Moschis, alijsq; vel efferis, vel truculentissimis hostibus dimicauit: & cum suam salutem posteriorem communi duxisset; omnes vias, nocendi glorię fortunisq; Polonorum, sapientissimè & prouidentissimè interclusit. Hæc sereniss: VLADISLAVS cogitans, munus esse suum arbitratus est, nè Respublica aliquantulum damni caperet, prouidere: libidini hostili resistere, insanam temeritatem, ad salubre consilium, prodigiosam feritatē, ad consonam humanis moribus viuendi rationem, inexplebilem cupiditatem, ad contentam suis rebus moderationem reuocare; ad puniendum non iracundiâ sed æquitate duci, nec magis honoribus, summoq; Maiestatis fastigio coruscare; quàm præclaris moribus, integerrimâ vitâ, rebus gestis egregiè, & superstes adhuc florere: & secundùm hanc mortalitatis scenam, sequenti etiam ætate, in animis gratæ posteritatis perennare. Itaq; his veluti secundis concitatus ventis, cum esset, nō eum quisquam à senatu, populoq; Polono, non à solicita cura bonorum omnium; non à minima Reipublicæ parte, nō ab Vniuersa Republicâ stabilienda, tutanda, defendendaq; retardauit. Verumenim postquam sacro vertici augustū Diadema impositum habuit: in Moschouiam signa mili-

 taria

taria intulit, hôstem ferocem immanitate, insolentem rerum copiâ, dolis ac fraudibus instructissimum, Smolensco Vrbi, & validis præsidijs firmatæ arci flammam, ferrumq; minitantem, ac iàm inferentē repressit, vicit, fugauit: Vrbem Poloniæ Regum pretiosissimum insigne, cælesti suffultus protectione, laboribus, consilijs, periculis suis, ex incēdijs, & vastitate vindicauit: Reipublicæ Ciuitatem tributariam, ordinibus dignitatem, incolis vitam, bona, fortunas, coniuges, liberos, pacem, & securitatem, restituit: metum sustulit, hostes tám numerosos, tam omni genere armorum munitos, tám potentes, tam expeditos, cum paucis suorum copijs, alios fudit, prostrauit, alios ad deditionem coēgit. Quodq; maximè extollendum, & prædicandum est, barbariem humanitate, perfidiam æquanimitate, calliditatem prudentiâ, truculentiā clementiâ, ingratitudinem obliteratione iniuriæ superauit: vsq; adeò, vt difficillimum fuerit intelligere, magisné hostes Magnanimi bellatoris fortitudinem timuerint; an gloriosi victoris mansuetudinem coluerint, adamauerint.

Wassembergius in gestis Sereniss. Vladi. Moschouiticis.

Licuit spectare tunc eos hostes, quorum ab actionibus nulla temeritas, nullum facinus à moribus, nullum flagitium à toto corpore affuit, ante Maiestatem Victoris, supplices procumbere: licuit audire, efferatissimum perduellionem, primùm Serenissimo VLADISLAO, quod eum virtute, ab improbitate, sapientiâ à dementia, consilio à temeritate, constantiâ à nefarijs conatibus, beneuolentiâ, à peruicacia, benignitate & fide, à pernicie & fraudibus, liberauerit: amplissimis gratias instituêre verbis: deindè Procerum atq; militum Polonorum, adeòq; belli illius sociorum, quorū humaniorē, quàm sua in eos fuerat, voluntatem luculentissimè probatā agnouerunt, generosam mentem, pacatum ac tranquillum animum, propensum in victos studium collaudare. O miram integri-

Wassēbergius.

tatis

tatis vim! incredibilem ipsius splendorem: quæ efferatos
domat, deiectos erigit, pressos recreat, cædendos liberat,
enecandos conseruat, in vitam, in salutem, in libertatem
asserit. Potuit enim Victoriosissimus VLADISLAVS REX,
potuit, in se perfidiam hostis, in ditiones suas, depopula-
tionem, in Colonos subditos sibi, vastationem & crude-
litatem, in Ciues beluinam feritatem, armis vlcisci: po-
tuit ignes illos, nostris vrbibus, templis, tectis, ac mæni-
nibus comparatos, in hostiles pagos, arces, delubra con-
uertere: potuit gladijs, ab eis in Rempublicam districtis,
in ipsorum abuti perniciem: mucrones suorum iugulis
intentos, eorum ceruicibus infligere potuit. Verùm e-
nimuerò cum non ignoraret, quanti apud Principes bel-
licosissimos fuerit, animum vincere, iustas vindicandi in
iuriam, causas dissimulare, victoriam temperare, hostem
prostratum, studijs humanitatis prosequi; nihil in ipsius
pristinæ dignitatis, æstimationem violentum, ac probrô-
sum admitere: sanè gloriosiùs longè duxit, comitate, &
clementiâ, quàm asperitate & insolentiâ, per omnem vi-
uentiū ætatē insignis celebrari. O Heroïcū Magni VLADI-
SLAI pectus! prudentissimum ac pænè diuinum consiliū!
si enim vnum in locum, collata fuerint omnia, quibus gē
tes immanitate execrabiles, multitudine innumerabiles,
locis infinitæ, omni copiarum genere firmatæ, potestati
ac imperijs subiiciuntur: si illa, quibus omne mortalium
genus, sensum retinet iucunditatis, certum sub-
sidium prouidet necessitati, ac solidum comparandæ fe
licitatis, putat sibi affuturum argumentum, diligentiùs
examinentur; nihil æq; tam potens, ad euincendum re-
belles, tam efficax, ad promerendum Ciuium amo-
rem, tam firmum, ad radicandum Nominis honorem, tā
viuax, ad diuturnitatem, tam religiosum, ad perennem
beatitudinem, & beatam perennitatem, quam clemen-

tia, & mansuetudo reperietur. Hæc est sedes imperij tutissima, fulcrum sublimis fastigij, plusquam Athlanticũ: omnis fortunæ, monumentum inexpugnabile: sinè hac, quid homines? belluæ atroces? quid præsides? popularis indigẽtiæ nescij; robore infelices ærumnarum serui: solitudinis auctores, iniuriarum pabula, diuinæ legis æmuli, egenorum supplicium, supplicum exilum. Quid pænæ sinè hac: violentiæ pondus, innocentiæ ludibriũ. Quid Magistratus? seueritatis alimentum, arrogantię prosceniũ, iudicij diritas, salutis dispendium, turbinis flabellum, amoris aconitum. Te felicem & beatum Sereniss. VLADISLAE; qui huius nobilissimæ Virtutis, nectare nutrit9, & ãbrosiâ imbutus fueras, vt cum illam omnibus in grauissimis Reipublicæ causis, ac subditorum necessitatibus retinueris, ità in communi mortalium vita, gratiosus vixisse iudicaris vnus; quem & priuati dilexerint; & sapiẽtes literatum monumentis, æuiternitati commendauerint: & summi Principes honorauerint: & hostes, non hominẽ, superbiæ, instabilitati, fastui, insolentiæ, feritatiq; obnoxium animal; sed numen quoddam æquanimitatis, constantiæ, mansuetudinis, ac lenitatis studiosissimum es se prædicârint, atq; coluerint. Et celebrentur Romanorũ Antonij Pij, nullos reos ad supplicium postulatos puniendos; viuat fama Scipionum, vnius Ciuis, conseruandæ salutis, quam, mille hostium enecandorum, sanguinis cupidissimorum: triumphent Marci Aurelij, non modò necem perduellis Cassij lugentes, verùmetiam ne suppliciũ, de ijs, qui suum consilium secuti sunt, sumeretur, interpellantes: admirabile profectò Magni VLADISLAI, integritatis documentum, qui, tot iniurijs, ab hoste lacessitus, sine causa ad bellum prouocatus, famem, sitim, cæli tempestates, æstus, hiemẽ, passus: deuicto hoste, quidq; primũ statuit faciendum? quid molitus? quid egit? sæuijt in superbis-

Tympius in Speculo Aureo,

perbissimum ? minimè; abduxit in seruitutem? neq; hoc: agris, cæterisq; hostis Prouincijs, desolationem, vel fœditatem intulit? triste sibi hoc spectaculum videri iudicauit. Vrgebat quidem, ingratissimus hostis animus, ad sumendam pænam : excelsa & Augusta Principis mens, his, diminui prohibebat victoris famā. Incitabat effrenis Moschi licētia ad vlciscēdos perfidos; moderabatur calori sapiētia conseruandum victos : agebat suas partes, contra fœdifragum, iustitia: condiebat, illius vigorem Principis clementia: illic peruersitas, scelus, rabies, contumelia, libido, barbaries, supplicium merebantur; hic integritas, pietas, moderatio, magnanimitas, prudentia, indulgebant. Tuncq; Sereniss: VLADISLAVS, velut alter Theodosius Magnus, *tùm se putabat beneficium accepisse, cùm rogaretur ignoscere: tunc propior erat veniæ cum esset commotio maior iracundiæ, trementes vidimus, quos obiurgabat, & cõuictos sceleris, cum desperassent, solutos crimine: vincere enim volebat non plectere.* Gratulamini vobis, Patriæq; vestræ ô Moschi, qui dùm dignas pænas, pro vestris facinoribus, digna supplicia pro flagitijs, expectâstis; dum prospero Magni Regis VLADISLAI successu, vobis, fortunisq; vestris timuistis: dum arma, Equitumq; insignia, tanquā barbaricum imperium formidauistis: tunc consternati, animos recuperâstis, perditi bonis, vitæq; vestræ, in summa Victoris VLADISLAI felicitate, Asylum inuenistis. Est autem fortunatus Sereniss: Princeps VLADISLAVS: nam cū improbis largitus veniā, obstrinxit eos ad beneuolentiā: indulsit rebellibus scelus, firmauit mutuæ caritatis, & præsentis subsidij contra quemuis hostem fœdus: testatus est in debellatos humanitatem, elisit ex animis eorum ferinam immanitatem: illis salutem concessit, sibi perennaturam laudem peperit: *illis vitam, cum posset, non eripuit: ipse dignus excellentiore natura, quàm humana fert cō-*

Sanctus Ambrosius in Oratio funebri.

ditio existimandus. Illustris hæc certè, & peruulgata, ad omnes orbis partes, ob tàm eximia facta, Sereniss: Vladislai memoria! verùm non his non eque his cancellis, illa virtus limitatur. Caruerint multi, quò plus vltrà progrederentur: posuerint ad Gades, vel Brachmanes æratas columnas: habuit Sereniss: VLADISLAVS, quò signa victricia inferret; quorum insolentiam castigaret, fastum coërceret, & vel ad famam sui pernicis aduentus, nefarios barbarorum conatus confunderet: mentem terreret, vim minitantes, in supplices, arma ipsorum in pacem, temeritatem, in consilij maturitatem, commutaret. Scilicet Vt auspicatissimos euentus rerum, à Sereniss, VLADISLAO in Moschouia gestarum, truculentissimus Turca sensit, æstro inuidiæ percitus, impium consiliū vecordissimus helluo, Poloniæ subiectas ditiones, ferro flammis cæde, incendijs infestandi, fortuneq; Magni principis, secundos cursus inhibendi, iniuit: suam imbellem proteruiam ludendam Heròicis animis impotentiam, inueteratā Christianos populos insectandi vesaniam, hìc efflare, (nō quidem dormiente, quod dicitur leone, ast procul in remotis excubias agente, ac spolia suæ dexteritatis & fortitudinis æuiterna monumenta, legente) accelerauit. Sed mirā in hoste Euripi naturam! quam.

Bellum cum Abasi Bassa.

Non anni annis, non menses mensibus vsq;
Conueniunt seque ipse dies, aliumq; relinquit.
Horaq; non vlli similis, producitur horæ
Vt vecors animus Turcæ mutatus, & ira.

Nimirùm postquam Magni Principis VLADISLAI, victrices Aquilas, à Borealibus signis, in orientem præpeti volatu, accelerare audiuisset; ille, nè tanti victoris lucem, nè triumphatoris florentissimam lauream, inuidiosissimus cogeretur intueri; atq; amissis exuuijs quas secum hùc portauerat, triūphi gloriā, (inuidiā hostis barbari!) augere cō-

positis

positis antè rebus maluit à finibus Poloniæ, nulla ex alie no præda onustus, discedere: quàm Victoriosissimi triũ phatoris VLADISLAI acinacẽ, olim Turcicis, & Sueticis, nunc, & pridèm Moschouiticis prælijs exercitũ, præsto lari. Gratulor sanã mentem barbaro; qui tutiùs ratus, à malè instituta ratione belli, cõtra Polonos gerendi desi- cere: quàm funestum rerum suarum euentum, expecta- re: qui cõsultiùs esse arbitrat⁹ est, se cãpis ex Podolia dece dere tutũ, quàm ad Victoris genua procũbere abiectũ. VLADISLAI certè nomen, in Polonia, amicis (sentiat enĩ vt quisq; vult) Regno gloriosũ, hostib⁹ ominosũ: probis amabile, peruicacib⁹ formidabile: Ciuib⁹ salutare, barba ris tremẽdũ. Ac mittò hui⁹ nominis alios Prĩcipes, nullis sæculis, nullis temporibus obliterandos: potẽtissimorũ Regũ Poloniæ, ab hoc augusto nomine præclara studia, quis percensuerit? Sedit ad Clauũ huius florẽtissimi Re- gni, VLADISLAVS I REX, ei⁹ expeditiones, in Bòëmos olĩ incursionibus ĩsignes, in Crucigeros tumidos, in Prussiã, Silesiáq;, describere diffi cele: singulare in his studium Pa triæ consequi, arduum: virtutes excellẽtes, aliquo gene- re laudis complecti, incredibile. Imperauit VLADISLAVS Iagelo Rex, cuius meritis in Ecclesiam, Patriã, recta stu- dia, honestissimasq; artium disciplinas, nulla par cogitari valet Oratio. Quis ille Vladislaus? Iagelo: qui nulla po- tentia hostili conturbari, nullis laboribus fatigari, nullis Viribus frangi potuisset. Quis VLADISLAVS? Iagelo: ex quo tot Principes fortissimi, tot Duces bellicosissimi, tot Reges potentissimi, & succũ traxerunt, quò vigerent; & vim quâ æternum viuerent. Quis VLADISLAVS? Iagelo, cuius fama totius orbis oras peruagata, nec terminis cir cumscribi vllis, nec dictionis finibus includi valet. Quis VLADISLAVS? Iagelo: apud quẽ virtutum Gymnasia flo- ruerunt: Lernæ flagitiorum locũ non habuerunt. Qui

Vladislai Nomen apud Polonos insigne.

Vladisl. I. Rex Poloniæ.

Lœlicus Crõ. lib. 11.

Vladislaus Iagelo Rex.

Crom. l. 14.

I ingra-

ingratitudinem,odisset,beneficentiam redamauit: qui veterũ in Polonia Regũ munera venerat9 recẽtia largit9: qui imbelles, & nauci homines, è castris proscribebat: generosos animo fouebat, qui pestilentiam sectariorum eliminandam curauit: propè Apostolum se, gentis suæ probauit. Tenuit Reipublicæ fasces, VLADISLAVS III. Poloniæ & Hungariæ Rex: Deum bonum! an non eiusmodi Principem fatebimur fuisse? qui eam duxit vitam, & eo modo fatalem ipsius attigit periodum, vt quemadmodum vitalem trahens spiritum, incredibili fuit admirationi hostibus; ità mortalitatis deponens exuuias, ac definitum fidei, religionisq; vindicibus, in cælo repetens locum, immensam gloriã cõsecutus esse iudicetur. Magnum augustum, Diuinum quoddam numen, huic nomini videmus esse præsentissimum: cuius sub auspicijs, Patria quietem, libertatem, salutem comparauit, propagauit conseruauit. Laborabit fortasis de hac sententia non paucorum fides, vt consentiant; consentiunt: nihilominùs vt deprædicent; deprædicant: itaq; saltẽ vt obstupescunt, obstupescũt, nec satis cõprehdunt. Quidni ita faciant? Conicijamus enim oculos, in multas florẽtissimas Respublicas, ditissima regna, populosissimas Prouincias: an non & illa, æternâ fam â teste, certis Principum, & Regum nominibus, cælitùs vim ita instillatã referentibus, augmẽta sumpserunt? Vetustissimum, & opulentissimum Persarum Imperium fuit; verũ id Darij & Cyri, factis adscribamus necesse est. Cuius notitiam, Macedoniæ Regni gloria, dignitas, Maiestas, facultates sunt præteruectæ? atqui nisi Philippus, & Alexander extitissent, (quorum excellentium laudum, plùs æquo vehementior torrens dicentem, suâ multitudine, trãsuersum abriperet, licet si ratio instituti secùs ferret) Macedonia tantæ claritatis lumen nunquàm habuisset. Illam Romanorum Rempublicã quâ nihil in toto or-

be inueniebatur, induſtrâ humanâ exquiſitiùs elaboratũ; & perfectiùs abſolutum: cuius decus, ciues, & optimates; ſplendor, diuitiæ: fortunarum propagatiò, leges: robur, diſciplina militaris: maieſtas, Prouinciarum atq; ditionũ multitudo: gloriâ, domi, foris, egregiè ac iuſtiſſimè geſtorum, celebritatis monumenta: illam in quam Rẽpublicam, adeò cultam ornatam, illuſtrẽ, firmam, inuictam prædicamus, floruiſſe? eam hæc nobiliſſima decora, & tutiſſima refugià, conſilijs Brutorum, moderatione Cæſaris, felicitate Põpeiorũ, & acquiſiuiſſe, & retinuiſſẽ nõ poſſumus nõ meminiſſe. Aſt enim quorſum animus ab inſtituto dictionis curſu aliò diuertit? Legimus, multis VLADISLAIS in Polonia ſummam Regni moderantibus, iuris æquitatem, legum honorem, bonitatem morum, hominũ fortitudinem, ſcelerum proſcriptionem, ſubditorum amorem, hoſtium terrorem viguiſſe. ſed hæc peruetuſta: in huius autẽ Sereniſſ: Regis moribus, vita, præclarè geſtis, quid vnquam vidimus, quod non ampliſſimorum ſuorum Maiorum, atq; Sanctiſſimorum Parentum genuinam integritatem, temperantiam, pietatem, iuſtitiam fortitudinem æmularetur? Adeò vſq; nominis ſui & illius Virtutis; ſe ſtudioſum cupiebat eſſe; vt & Regum inuictiſsimorum veſtigijs inſiſteret; & ad eorum conſuetudinem, totam ſuam vitã cõformaret. Floruerunt illi militaribus diſciplinis: huic ludus acies: diſcipuli exercitus: arma pennæ tinctæ hoſtili cruore, ſuas res geſtas æuiternitati dedicaturæ. Illi grauiſſimis Reipublicæ negotijs diſtenti, totum vitæ ſpatium cum laude exegerunt: huic omnis ratio, publicorum cura: omnis occupatio, ſublimium ardor: pro Patria ſolicitudo, bellum: iudicium, gladius: argumentum, ſucceſſus: euentus, victoria: executio, inter Ciues lætitia, vita, ſalus: apud vicinos amor, ſtudium, concordia, honor: apud hoſtes, ſi pertinaciſſimè egerunt, timor, inopia, fletus, ſer-

 uitus

uitus, occasus si ab impijs consilijs, vim innocentibus, labẽq; integris, inferẽdi destiterunt: spes, benignitas, gratia, humanitas, libertas, vitã. Callidissimũ profectò Turcam! qui tanti Principis nomẽ sibi totiq; imperio ominosum intelligens, atq; non tàm dictis nominibus Principes Corinthios, Atheniẽsib⁹ molestos: Persas Aegyptijs graues; quàm Polonos Turcis intolerabiles extitisse præsentiens: cõtracto supercilio, demisso vultu, flaccidis auribus, animo fracto, acsi iactabundus olim Iupiter Corinthius, per summum dedecus, O iustissimã superbiæ pænam! non dissimilis meticuloso, abijt, excesit, erupit, fugit: et cum Sereniss: VLADISLAVM laude, tùm regnuũ pace, incolas iucunditate, amicos exultatione, hostes tremore cumulauit. O Sereniss: VLADISLAE (victorẽ appello) quã tu salutem Poloniæ attulisti? quàm improuisam, quàm repentinã? Quod enim hic barbarus fugerit? quòd ad Tuum aduentum exhoruerit? quãtum omine & Nomine valueris; quãq; omnes casus, labores, curas, solicitudines, iniurias cæli, mortem deniq; ipsam, si necessitas postularet, in gratiã carissimæ Patriæ studiosè perpeti optaueris; docuit: atq; Te, Rex desideratissime, nõ sagittarijs, nõ cathaphractis, nõ equorum agmine, ad extinguendam suam impotentem libidinẽ egere; (quanquã hisce satis instructus fueris:) ad cuius Nominis famã, sese in latebras, ac saltus recepit, nõ obscure indicauit. Enimuerò quoniã hæc teterrima bellua, ex cupiditate, technis, dolis, cuniculis, atq; feritate cõflata, in qua nihil apparet ingenuum, nihil moderatũ, nihil prudens, nihil pudicum, disparuerit; neq; hìc ampliùs morãdum duco. Tuum autẽ decus, tuum splendorem dulcissima Patriã, cùm Seren: VLADISLAVS, profligatis hostib9, extinctis odijs, legibus vĩdicatis, à cruẽto Gradiuo, cepit respirare; quâ eloquentię vi prosequar? quo genere Oratio

Aristophanes & Plutarchus

nis

nis comprehendam? Ille, quo maior tua fama, per latissimum orbem diffunderetur, in Regalis Tori sociam, ac tuę felicitatis spem maximam CÆCILIAM RENATAM Imperatorū sanguine Ferdinandi II. Parentis, FERDINANDI III. Fratris, inclitis virtutibus, ornatissimam, atq; cōmendatissimam accepit: quibus adeò lucidis, adeò benignis, & amicis sideribus, in Horisonte tuo, resplendentibus, quantis bonis abundaueris? quàm insigniter fulseris? Cum enim horum optimorum Principum animum, veluti eximium quoddam Sacrarium, virtutes ōnes, pulcherrimo ordine possederint; lumine suo ad omnem gloriá exornauerint; potentiā ad omne robur, constantiāq; aduersus huius pelagi tēpestates, vel hostiles insultus, corroborauerint; religionis cultum desiderabas? cælestium rerum amor, his præsentibus vigebat, regnabat: Hydræ infernales, perniciosissimum virus, catholicæ doctrinæ salutari afflantes, aliæ pulsæ, profligatæ, aliæ extinctæ: cauernæ, quibus hoc tàm dirum, tam pestilens, tàm præsens aconitum alebatur, disturbatæ, sublatę, ampliusuè effodi, legum Sanctimoniâ, Regis sapientiâ, optimatum consensu, auctoritate Senatus, prohibitæ. Quid illa, post tot gesta egregiè Magni VLADISLAI, animi moderatio? cum vanę gloriæ flabella respueret: cum insolescere benefactis, imprudentis & impudentis iudicaret.

Nuptiæ primæ Sereniss. Vlad.

Racouiā Ariani pulsi.

Euripides.

Opinio ô improba Opinio! quàm multa tu
Millia hominum nihili, lociq; nullius
Inflas tumente spiritu?

Tua mancipia fuerunt, Clitùs vanissimus, Alexander impotentissimus, Pompeius ambitiosissimus, Iulius arrogantissimus. At verò, nihil tibi in rebus gestis Magni VLADISLAI vendicâsti, nihil ex illis decerpsisti: qui eam, quæ est solida quædam res, & expressa non adumbrata consecutus gloriam. Quid plura, Iustitiam, liberalitatem, comitatē,

in Principe requirebas? summum rebus in omnibus modum experiebaris: procul hinc insatiabilem opum sitim proscribi, beneficia autem, in subsidium pauperum, in refectionē exhaustorum, in decus Patriæ, liberalissimè profundi collaudabas: imperio acerbitatem nō adiungi, infimum ab excelso, egenum à diuite, modestum ab ambitioso, non opprimi, simplicem à callido, candidum a vaferrimo, probum a flagitioso, nō circumueniri suspiciebas. O profundas, & cunctis sæculis memorandas Magni VLADISLAI Virtutes! Quid enim his dici, aut cogitari potest in Republica meliùs, vtilùs, beatius? quibus cæli, nihil gratiosiùs aspectu; terra nihil honorificentiùs cultu; homines nihil dignius cōplexu habent: quibus præsentib9, spes bonorū augescit; expectatio solidioribus nititur spiritibus: illis absentibus difficillima ratio, inchoandi præclara negotiā: tardum in perficiendis studium; vanus labor, elumbes conatus, totum consilium irritum, perniciosissimus exitus: illis comitibus, viget integerrimū robur, pietas emergit, magistratus debitis honoribus afficitur, Maiestas, colitur, status omnes reflorescunt: illis exulantib9, odia inualescant, omnia in peius recidant, est necesse. Beatas inquam has virtutes! enimuero augustissimos Principes qui illis inprimis studuerunt! Illis enim sibi amorem hominum; fauorem Diuorum: fidem omnium conciliarunt. Illis regno subditis caritarem, infidis terrorem, inuisis fugam, persuaserūnt: illis dignitatis fastigio maiestatem, imperio auctoritatem, factis commendationem, vitæ & famæ perennitatem pepererunt. Et quæ tunc vniuersi regni gloria? quæ Ciuium fortunæ? quæ ordinum consensio? dicerem sane, nisi mihi infantiæ, & imbecillitatis essem conscius; dicerē, nisi in me exhausta verba, potestas dicendi, tantorum commodorum vbertatē

vehe-

vehementiùs pertimesceret. Celebris fama hæc sereniss: VLADISLAI & CÆCILIÆ iudicatur, fuisse tàm Nobilis Reipublicæ Principes: singularis gloria Poloniæ, tantorū Principum ditionē fuisse. Præclarā educationē Magno VLADISLAO prouiderat Polonia: clarissimum decus, VLADISLAVS rependit Poloniæ. Insignis VLADISLAI laus est, perenni dignum recordatione, ob sua diuina propemodùm facinora vixisse: inter fastos numerandū illius imperij tēpus, quo semper Polonia pacata, & hostibus formidolosa viguisset. Quid multis opus? omni cōsensu cōcētuque laudis, Inclitissimum Principem VLADISLAVM quam diu Polonia vidisset, eum munimen & columen suum, eū suam, cōstātem & vicissitudinis expertem, felicitatē, iudicauit, agnouit. Sed eheu, plumis leuiorem, aquis fugaciorem, huius vitæ faustitatem! durissima fata, cum primùm viderunt orbitam, æquabilem rerum Poloniæ statum decurrere, inuiderunt: & cum inprimis Reginali Maiestati violentissimas manus, ô acerbitatem! iniecerūt; nobis, totiq; sarmatico Orbi, lætitiæ sensum, ô indignitatem! eripuerunt. Ac solabatur quidem afflictionem suam Heroica indole, SIGISMVNDI CASIMIRI Infantis, quē columen in dubijs calamitosisq; sibi futurū sperabat: Nam hoc Nobilissimus, vtriusq; Parentis sanguis, hoc igniculi, iamq; propè modum flāmæ quædam, excellentium actionū, salutaris consilij, & fidissimi cuiusdā pectoris, vel in pueritia emicantes, spondebant. Ast spem hominum inanem! vana & irrita vota! qui dum illius indole, in egregiā expectationem: illius moribus, in vberrimam bonorum omnium segetem eriguntur; illius spiritu Heróico, suum optatum successum metiuntur futurum; gratissimus ille flosculus amænitate, fragrantissimus odore, ancipiti mortis falce succisus, corruit emanuit: omnesq; suo docuit occasu, plusquam Iouis Dodonæi, vel Apollinis Oraculo, profe-

Obitus Sere. Cæciliæ Renatæ A. 1644.

Mors Sigism. Casimiri infantis 1647.

profectum certius esse. *Non posse esse, in eo succum diuturnum quod nimis celeriter maturitatem est assecutum.* Enimuerò fecisset immanissima hominum deprædatrix, satis libidini suæ, cum hæc dulcissima pignora; hæc fulcra solidissima, hæc clarissima lumina, rapuerit, subuerterit; extinxerit: dummodo augusto Sereniss: VLADISLAI Regis vertici pepercisset. Expleuisset iàm profundam suæ cupiditatis abijssum, tot Magnanimorum Procerum funerib⁹; tot sapientissimorum Virorum bustis; tot integerrimorũ hominum exequijs; tot Nobilissimorum, quos rapidissimum immodum sustulit cladibus; si tantum Tyrannicã virulentiam Si charpiarum vngues, Sacræ Maiestati Regiæ, infligere exhorruisset. Sed proh superûm, mortaliumq; fidem! quàm efferata? quàm crudelis, ne dicam scelerata & impia Lachesis? quę nec illi, quem secundùm cælites, gratiosissimum habuimus interris, pepercit: & gaudium omnium in dolorem, lætitiam in lamenta, dulcedinis sensus, in amaritudinem animorum; splendorem in horrorẽ, frequentiam in solitudinem, O luctuosam! ò acerbam Catastrophen! cõmutauit. Funestum spectaculum! morte deletus est: quis? Sereniss: VLADISLAVS Rex: cui religiosum fuit omnes in bello seruauisse: nec quẽquam nisi suà temeritate concidisset, occidisse: in quo animi, & ingenij tanta vis fuit, vt nihil fortunæ Dominiũ vereretur: quem neq; priuatarum, neq; publicarum rerũ vsus fallebat: qui militaria, imperatoriaq; officiâ, pariter obibat. Taceo quantum arcibus, propugnaculis, armamentarijs, vel reficiendis vetustis; vel condendis nouis; vel fossis, vallis, varioq; genere armorum muniendis studuerit: multos ob generis excellentiam, non paucos ob militaris disciplinæ peritiã: plurimos ob consilij grauitatẽ, sẽtentiarum prudentiã, amorem boni cõmunis, ad altissimos gradus dignitatis euexerit. Excessit è viuis; quis? Sere

nissi:

nisS: VLADISLAVS, qui Timothæi Athenienſis manſuetudinem, Epaminondæ auctoritatem, Pauſoniæ candorē, Fabiorum animos generoſos, & nę quicquam noſtris derogemus; Boleſlai Criuouſti magnanimitatem, Iagelonis Reipublicæ amorem, & literarum propagandarum ſolicitudinem Iagelonidæ ſtupendam in hoſtibus domandis, atq; magnis negotijs conficiendis dexteritatem, & fortitudinem: SIGISMVNDI III. progenitoris ſui optimi humanitatem pietatem, religionem, æmulabatur. Funeſtum in quam ſpectaculum! Sed in tàm graui ac vehementi perturbatione, neſcio cuius, miſerabilis vox, & ab imo ducta, ſuſpiria audiuntur. Inuictiſſime, Antæe, decus meum vixiſſes vtinam! Te ſoſpite, coloni a metu, Principes à periculis, fortunę à direptione, omnes à trepidatione liberi fuimus: Te vitâ functo.

Quàm multa madidæ celantur arundine foſſæ, Ouid. l. ... ſtium ...
Florida, quàm multas Hybla tuetur apes
Quàm multæ gracili terrena ſub horrea ferre
Limine formicæ grana reperta ſolent:
Tàm me circumſtat denſorum turba malorum.

Quid me deſeruiſti Magne VLADISLAE? ille gurges, & helluo, meo in gremio (vtinam perijſſet priuſquam hanc lucē aſpexit) ſuſceptus, meis beneficijs altus, meorum filiorum honoribus auctus, inuſitatâ barbarie efferatus, agros depopulatus, Ciues deprædatus, tēpla depeculatus eſt, vixiſſes vtinam Polonis. Iam perfidi rebelles, animicidæ ſtimulis commoti ſeruilia ſaga ſumpſerunt, non modo liberos ſeruitute, Nobiles indignitate, preſſerunt, virgines rapuerunt, adoleſcentes lancinârunt, infantes à parentum complexu diuulſerunt, honeſtis labem, integris turpitudinem, religioſis internecionem intulerunt: aſt etiam templa flagitijs contaminârunt: diuina myſteſteria profanârunt: ſepulcrorum monumenta reſerauerunt

runt: functis vitâ Parricidiales manus iniecerunt: nihil sã-ctum, non violatum, nihil integrum, nõ deploratum; nihil munitum non tentatum reliquerunt: Vixisses Ecclesiæ. Iàm vulgus ingenio mobili, & præferoci, iam schisma seditiosum, rerum nouarũ cupidum, quieti & otio aduersum, classicum occinit: virus in omnes innocentes egerit: desidiæ strenuos, somni vigilantes, inertiæ peritos, timiditatis fortes arguit: omnia cladibus, omnia cruore, omnia cadaueribus complet. Vixisses vniuersis. O verè hæc mæstissimę Patriæ vox! illius hi grauissimi singultus! quis vel ad indignitatem ob iniurias miserorum, vel ad humanitatem, ob querelas supplicis, vel ad dolorem, ob tanti Principis,(cuius salute omnibus his integerrimis esse licuisset,)è vita discessum, non commoueatur? Præsides nihilominus vitæ humanæ Parcæ manent incõcussę, manent? imò de tãto Principe, Imperatore, victoreq́;, triumphant.

Ah sæuæ nimium grauesq́; Parcæ!
Ah nunquam data longa festa summis!
Cur plùs ardua casibus petatis?

Non Vos augustum Maiestatis nomen perculit? non venerandum solium terruit? non populi desiderium, non afflictissimæ Patriæ vox? non lacrymæ luctusq́; flexerunt? sustinuistis in eum desæuire, qui clementiæ cultor eximius; non erubuistis gemitu, & squalore, eam Regiam complere? quæ omnibus hilaritatis in necessitate, splẽdoris in teterrimis rebus, causa extitisset. Qui omnibus incolis factis vindicijs fortunisq́; vita fuit; eum orbare iucundo vitæ sensu, præsumpsistis? verum enim errâstis implacabiles, errâstis. Quî enim vitâ perenni valet priuari, is, qui in vita ornamentis spectatissimus, rebus gestis celeberrimus, Heroicis facinoribus cõmendatissimus est? Viuit, viuit Sereniss: VLADISLAVS Rex, ast vitam hâc longè beatiorem, quia molestiæ ignaram: feliciorẽ, quia gloriosam: optabilio-

biliorem quia perennem, nec vllis laboribus, ſolicitudinibus, periculiſq; obnoxiā. Namq; ſi veteres illos Leonidas, Octauios, Veſpaſianos, Cæſares, (quis infinitos perſequeretur?) viuere audimus; ô miſerã, ô ærumnoſam vitam eorum! de quibus ante Tribunal iuſtiſſimi illius omnium Iudicis actum eſt: quorum ſenſus, perpetua calamitas: & fama, inextinguibilis inferorum flamma: quorum Pyramides, obeliſci, magnifica trophæa, Mauſolæa ſuperba, crepundia, idola, nugæ, vmbræ, nuncupāda: ſi inquā eos viuere audimus; beatam Sereniſſ: VLADISLAI vitam! quæ nullis ſubiecta tempeſtatibus, omnium expers iniuriarum, omnis felicitatis theſaurus, lōgè nobiliſſimus, atq; vberrimus cenſetur. Quæ affluit, non effluit: reficit, nō deficit: alit non fallit: ornat non onerat: quæ nec viribus labefactari, nec machinis conuelli, nec vllis conſilijs expugnari poteſt. Illic felices Animæ, quæ ſe extra omnem periculorum aleam vident conſtitutas, quibus plena omnia, iucūdiſſimæ rerum facies, nullus, laboris doloris, famis, ægritudinis, & confuſionis (dum benè hîc egerunt) ſenſus: omnis quietis, voluptatis, vbertatis, firmitudinis atq; gloriæ prouentus eſt, longè quàm copioſus. Hæc demum eſt, quæ viget, vigebitque laudibus ſæculorum omnium, de cuius incredibilibus delicijs, infinita amænitate, inuſitatis honoribus, ipſa æternitas nunquam conticeſcet. Illa quoniam Sereniſſimum VLADISLAVM IV. Poloniæ & Sueciæ Regem receperit: nec huius fluxæ & innumeris malis expoſitæ, ampliùs turbari, vel detineri ſuſtinuerit: non priuatum luce, vitæq; vſurâ exiſtimemus; verùm immenſæ claritati, & immortalitati reſtitutum eſſe cenſeamus. Vt autem & nos, & in terris, inter homines; & in cælo, inter beatas illas mentes, luculentius teſtimonium pietatis, in Sereniſſimum RE-

GEM

GEM nostrum, ac Dominum Clementissimum mereri iudicemur; illius actorum memoriã imis sensibus exsculptam, literarumq; monumentis, iam pridem impressam, & euulgatam, foueamus, prædicemus.

Impẽsis ex fundatione perpetua Generosi Bartholomæi Nowodworski, Equitis Melitensis, Ord: S. Ioannis Bapt: Hierosolimitani, Sacræ R. M. Aulici & Rotmagistri.